

D. ZEGERI BERNARDI  
V A N - E S P E N

CELEBERRIMI JURISCONSULTI LOVANIENSIS

JUS ECCLESIASTICUM  
IN EPITOMEN REDACTUM

A. D. P. BENEDICTO OBERHAUSER,  
J. U. D. Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis ac  
Archiepiscopi Salisburgensis Consilario Ecclesiastico

*ADDITIS*

BREVIBUS SS. PATRUM SENTENTIIS,

*Aliisque ad novissimos mores, ac praxim spectantibus.*

TOMUS SECUNDUS.



CUM LICENTIIS NECESSARIIS.  
MATRITI: EX TYPOGRAPHIA EMMANUELIS GONZALEZ.  
ANNO MDCCXCII.

## BENEVOLO LECTORI.

**A**lter hic Tomulus continet ea, quæ clarissimus D. Van-Espen scripsit de bonis, & Judiciis ecclesiasticis. Integrum ergo hujus Auctoris Jus ecclesiasticum est duobus tomulis nunc excusis, modo undequaque perfecto, comprehensum. Quinimo Epitomator, ut opus istud fieret omnibus numeris absolutum, nonnulla supplevit ex Fleurianis Juris ecclesiastici institutionibus.

Ast ubi sunt novissima Pontificum Decreta, & Principum Statuta, quibus hoc opus supplendum promitebat circumvolans folium, quo illius editio annuntiabatur? Quod fuit promissum, id & fuit adimpletum, & fides liberata. Epitomator non quidem suo huic compendio inseruit talia Decreta, & Statuta expressis nominibus Pontificum, & Principum: in obviis tamen locis, uti eruditus Lector faciliter perspiciet, indicavit novissimos mores, qui sensum invalescunt, praxin, quæ vigere incipit, leges, juxta quas nunc vivere oportet. Nil ergo omissum, quod ad ecclesiasticam Jurisprudentiam conducere posset.

# JURIS ECCLESIASTICI

## D. VAN-ESPEN

### PARS III.

#### DE BONIS ECCLESIASTICIS.

##### TIT. I.

###### *De Beneficiis.*

##### CAPUT I.

###### *De Origine, & Natura Beneficiorum.*

1. **N**ostris moribus multiplex religionis officium incumbit Parochis, quia titulo ipsius Beneficii, quod possident, tenentur ad Sacrorum administrationem, & celebrationem in suis Ecclesiis. Beneficium enim datur propter officium. *c. 15.*  
*de Resor. in 6.*

2. Beneficii nomen ex jure feudali trascibere placuit. Jure novo prætendit Innocentius II. Papam, veluti jure feudi, omnium Beneficiorum ecclesiasticorum Dominum, aut Authorem esse. Constat (*a*), inquit *Romam esse Metropolin orbis; inde recipiuntur dignitates ecclesiasticae per gratiam, & licentiam Romani Pontificis; veluti jure feudi.*

3. Primis sæculis & ipsi Clerici ex bonis Ecclesiæ vivebant. Bona erant communia, quorum dispensatio ex nutu Episcopi fiebat inter pauperes, & Clericos. Fuere Clerici non pauci, qui extra communitatem vixerant, vel quod uxores essent sortiti, vel aliis de causis. His stipendia vel hebdomadatim, vel menstrue, aut in pecunia numerata, aut in certa ciborum portione, quæ proinde instar erogationum militarium Præbenda dicitur, suppeditabantur. Hujus generis stipendia pro-

na-

(a) Racin. Tom. 5. Art. 11. §. 7.